Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 547
Quelle:
Copyright:

haec verba: *Hic ille uerus ſol.* Cum Codex hic olim *Limpurgenſis Cenobij* fuerit, ut *fol. ult.* p. 2. notatur, fortaſſis Sermo noſter autorem habet *Rupertum* Abbatem, de quo *Trithemius* C. 365. et nos ad *Cod.* DCCL. meminimus.

III. a *Fol.* 156. ſequitur *Anonymi*, qui et *Gregorium M.* citat, *Tractatus de Phraſi et Allegoriis S. Scripturae*, adeoque in duas Partes ſectus, quarum ſecunda margini voces, quas exponit, juxta Alphabeti ſeriem minio adſcriptas habet. Orditur vero: *Expoſitio ſacrę ſcripturę fit per ſignificationem vocis. uel ſignificationem rei. Per ſignificationem uocis principalem. uel ſecundariam* &c. Et finit: *Moiſes in fiſcella. nucleus in teſta. theſaurus in terra.* Multum ei cum *Formulis Spiritualibus Eucherio Lugd.* adtributis *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. et *Iſidori Hiſpal. Etymol.* Libro VI. et VII. convenire deprehendes.

IV. a *Fol.* 169. usque ad finem habentur ſine Autoris nomine *Petri Lombardi* Ep. Parifini *Sententiarum Liber* II. et III. ſed hic non integer. Defectus *Libri* I. ſtatim ſub principium ita rubro indicatur: *Hic deeſt primus de trinitate liber.* Calamus recentior adjecit *ſententiarum. Liber* II. infit ab hac rubrica: *Vnum eſſe rerum principium oſtenditur non plura. ut quidam putauerunt. Continuatio prioris libri ad ſequens.* Deeſt huic *Libro* Diſtinctionum Elenchus; non vero *Libro* III. qui praeterea *Praeloquio* gaudet, quod incipit: *Sic enim rationis ordo poſtulat* &c. et finit: *gratia ad miſerum accedat.* Praeloquium iſtud abeſt ab antiquiſſima *Lombardi* editione *ſ. l. et a. in fol.* cujus gemino exemplari in Bibliotheca noſtra manu praenotatus eſt annus 1471. In ora tamen inferiori unius horum exemplarium manu ſubpletum eſt. Abeſt pariter ab edit. *Colon.* 1567. 8. Invenitur tamen jam in edit. *Baſil. per Nic. Kesler* 1487. f. Ceterum Codex noſter tantum pertingit ad *Diſtinct.* XXIX. Verba haec: *Multorum caritas inordinata eſt.*

Ad illum compingendum adhibita ſunt Folia IV. *Antiphonarii* Sec. XIV. quae Antiphonas de SS. *Nicolao* et *Paulo* modulis muſicis incluſas exhibent.

CLXXXVII. VI F. 18

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. 4. bene exaratus, rubricisque diſtinctus, atramento tamen in variis paginis admodum pallente hoc praefert Rubrum: *Incipit Liber leuitici cum omeliis Suis Numero XVI. Origenis. Originem* praeter *Excerpta*, quae commemorat *Hieronymus* apud *Rufin. L. II. Invect.* etiam *Homilias* in *Leviticum* ſaltem *dictaſſe*, teſtis eſt earum interpres latinus *Rufinus* in *Perorat.* quam Verſioni ſuae *Explanationis* pariter *Origenianae ſuper Epiſt. Pauli ad Rom.* ſubjecit: *In his, quae in Librum Levitici* 402

ab